FLORENTINA PROCESSIONUM.

Eminentissime, & Reverendissime Domine. Contentio praecedendi inter Ecclesiasticos non est parvi momenti, quia est signum Jurisdictionis, & majoritatis, in terminis primae propositionis, *Puteus decis.* 449. *num.* 3. *lib.* 2. *Rota coram Seraphin. decis.* 22. *num.* 2., *& coram Dunozett. Sen. decis.* 168. *num.* 4., *& in Romana Juris honorifici super petitorio* 24. *Martii* 1702. *in princ. cor. Reverendiss. Molines Decano*, & in terminis secundae, *Text. in leg. gradatim* 11. *ff. de muner.*, *& honor.*, *& tot. tit. Cod. ut dignit. ord. servet. lib.* 10. *cap. est ordo* 33. *quaest.* 5., *& cap. cum olim* 6. *de consuet.*, *& cap. statuimus de major.*, *& obed. Cassan. Catal. glor. mund. part.* 4. *consider.* 45. *post med. Adden. ad Pamphil. decis.* 92. *num.* 15. *Rota decis.* 425. *num.* 14., *& sequent. par.* 13. *decis.* 226. *num.* 2. *part.* 14., *& decis.* 303. *num.* 9. *part.* 16.

Propterea gravis est praesens controversia, in qua, turbata consuetudine usque nunc observata, praetendit Reverendiss. Abbas, & Abbatia Cassinensium in utraque Processione tam in Festivitate Sanctissimi Corporis Christi, quam S. Joannis Baptistae incedere cum Vexillo equalis proceritatis, & in eadem linea cum illo Ecclesiae Metropolitanae Florentinae, sed ipsamet supradicta consuetudo per longissimum tempus huc usque observata, modernam hanc praetensionem contundit, quia in hujusmodi praeeminentiis nil potius attenditur,

quam id, quod introduxit, & observavit antecedens consuetudo. *Bald. in cap. cum olim. num.pr., & sequent. de consuetud. gloss. in cap. final. verb. auscultentur in fin. de offic. Archidiac. Adden. ad Buratt. decis. 903. num. 20. & 21. Rota decis. 263. nu. 8. coram Penia decis. 964. num. pr. & 2. coram Seraphin. decis. 124. num. 2. & 4. cor. Ludovis. & rec. decis. 156. quæst. 17. & decis. 785., utrobique num. 5. par. 18., & Colonien. præcedentiæ super bono Jure 4. Junii 1696. §. Quamvis, & 22. Martii 1697. §. Siquidem coram R. P. D. Muto, & in Pampilonen. præeminentiarum 3. Februarii 1700. §. Fortius verò, & 7. Martii 1701. §. Iterum namque, & in Colonien. præeminentiarum 22. Junii 1701. §. Verùm etiam coram R. P. D. dell'Olmo.*

Et in his præcisis terminis, & controversia circà modum deferendi Crucem in Processionibus. *Pignatell. consult. can. 73. num. 10., & sequen. tom. 8. Rota coram Merlino decis. 779. num. pr. cum seq., & decis. 560. num. 5. part. 19. tom. 2., & latè, & magistraliter in dicta Colonien. præcedentiæ super bono Jure 4. Junii 1696., & 22. Martii 1697. coram R. P. D. Muto impress. post Antonell. de Iur., & oner. cler. decis. 19. & decis. 21. ferè per tot.*

In omni enim materia potentissima est consuetudinis vis, sed in hac præeminentiali totum facit, adeout nisi sonet in abusum, & corruptelam contra dispositionem Sacrorum Canonum, Sacrorumque Rituum, ea semper ad effugiendum periculum novitatum sit attendenda, etiam si eidem Jus nullam validam assistentiam præberet. *Fab. de Anna cons. 40. num. 2. Cyriac. controv. 201. num. 169., & sequen. Sperell. decis. 76. num. 4. Barbos. de Jur. Eccles. lib. pr. cap. 43. nu. 179. Tamburin. de Jur. Abb. disput. 5. quæst. 11. nu. 81. Panimoll. decis. pr. adnot. 2. nu. 2. & sequen. Rota decis. 964. num. pr., & sequen. coram Seraphin., & decis. 124. nu. 2. & 4. coram Ludovis., & rec. decis. 214. num. 4. & 14. part. 4. tom. 2., & decis. 483. nu. pr. & 2. part. 5., & decis. 166. num. 5. part. 17., & in dicta Colonien. præcedentiæ super bono Jure 4. Junii 1696. in ordine la 19. post Antonell. de Jur. & oner. cler. num. 3.*

Exuberat igitur ad favorabilem resolutionem, ut eam methodum, eumque modum nostra metropolitana prosequendum petat, quam antecedens diuturna praxis optimum, & legitimum comprobavit. Idcirco cum plurimi Testes de supradicta cōsuetudine adamussim deponant, sintque genere nobiles, & numero plures, ex illis probatio talis consuetudinis omnino resultat, quamvis non essent examinati nisi ad perpetuam, nam insignis eorum qualitas, & abundans numerus omnem suspicionem eliminat, nec alia rigorosa probatione opus est, ubi ipsa notorietas facti recurrentis per binas vices in singulis annis conciliet ejusmodi Testibus eam fidem, cum qua ad dirimendas de bono, & æquo hujusmodi materias procedi solet. *Rota decis. 204. lit. B. vers. Si tamen fides coram Ludovis. Nimot. decis. 10. num.*

10.

10. *Rota in rec. decis.* 118. *num.* 19. & 38. *part.* 9., & *decis.* 262. *num.* 4., & 5. *part* 17., & *decis.* 820. *nu.* 15. *part.* 18., & *in Cracovien. Cantoriæ* 11. *Martii* 1701. §. *Absque eo quod coram R. P. D. Caprara*.

Quod si dicatur prædictam nostram observantiam non esse pacificam, quia interrumpi tentatam in ultimis processionibus, hæc non est interruptio, quæ illam debilitaverit, quia potius sunt actus punibiles, qui causam dederunt hodiernæ Liti, ex quibus proindè præsertim impugnatis, imo repulsis confirmatur potius quam destruatur prædicta nostra Consuetudo. *Abbas in cap. gratum sub num.* 7. *de offic. deleg. Rota coram Dunozet. Jun. decis.* 988. *nu.* 9., & *apud Post. de manut. decis.* 627. *num.* 8., & *in Marsicen. seu nullius Jurisdictionis super bono Jure* 7. *Junii* 1700. §. *Prout non relevat coram R. P. D. Muto.*

Quamquàm verò prædicta observantia sufficienter probetur ex Testibus supradictis; Tamen alia fulcimenta nec desunt, quibus eorum dicta comprobantur, nam habemus, quod priùs, & intercedente notabiliter distinctivo temporis spatio, vocari consuevit Vexillum Metropolitanæ, quàm illud Abbatiæ adversariæ, quodque in libris describentibus ordinem procedendi in his processionibus describitur in primo versiculo LO STNDARDO DI SANTA MARIA DEL FIORE, & deinde in alio secundo versiculo LO STENDARDO DELL' ABBATIA DI FIRENZE, quæ sanè adnotatio descriptionis unius Vexilli post alium indicat, quod nostrum præcedere debet, quia ex ordine adhibito in similibus descriptionibus aptè colligi potest, quod primus in descriptione, prius etiam esse debeat in ordine procedendi *can. bene quidem ibique gloss.*, & *DD. distinct.* 96. *Bald. in leg. conventiculam C. de Episcopis*, & *Cleric. Fagnan. in cap. cum certum num.* 29. §. *Sed Canonici in fin. de major.*, & *obed. Cassan. in Cathal. glor. mund. part. pr. consider.* 17. *Daniel. de Nobilibus disput.* 75. *num.* 10. *Francisc. de Eccles. Cathedral. cap.* 33. *num.* 163. & 168. *Rota decis.* 7c. *num.* 5. *coram Merlin.*, & *post Posth. de manut. decis.* 229. *num.* 7., & *decis* 584. *num.* 10. & *in rec. decis.* 242. *num.* 14. *part.* 16., & *decis.* 166. *num.* 5. *part.* 17.

Nec refert si dicatur quod in dicto Libercuio exprimatur, LE PRIME A MOVERSI SONO QUESTE

❦ LO STENDARDO DI SANTA MARIA DEL FIORE.

❦ LO STENDARDO DELL'ABBATIA DI FIRENZE.

Quasi quod si sunt LE PRIME A MOVERSI, debeant quoque simultaneè, & in eadem Linea procedere, cum præsertim Vexillum Metropolitanæ incedens à dextris destitutum non maneat ea præeminentiali prærogativa, quæ sufficienter ejus præcellentiam præservet

per ea, quæ tradunt *glof. in can. quam periculofum in verbo primatus 7. queft. 7. Felin. in rubr. fub num. 8. verf. nota etiam quod qui fedet de majorit., & obedien. Caffan. Catalog. glor. mundi parte prima confiderat. 11., & fequen. Caftald. de imper. quæft. 88. num. 9. Tiraquell. de primog. in præfat. num. 13., & fequen. Garz. de nobilitat. gloff. 48. num. 24. Pacion. de probat. libr. 2. cap. 25. numer. 9. Sperell. decif. 179. num. 5. Rota coram Bich. decif. 166. num. 30.*

Nam predicta verba: LE PRIME A MOVERSI Simultaneum inceffum hìc importare non poffunt, tum quia fufficiens declaratio præpofterationis habetur ex fupradicta defcriptione unius Vexilli in fecunda linea poft aliud, tum quia notum, & comprobatum habemus, quod Vexillum Abbatiale non convocatur contemporaneè cum illo Metropolitano, fed interiecto aliquo notabili temporis fpatio, quod fane intervallum ad alium effectum adhibitum dici nequit, nifi, ut Vexillum Metropolitanum motum, & egreffum inciperet, & profequeretur ante illud Abbatiale, ut patet ad fenfum, & dictant elementa Juris, ut effectus practicus, & diftinctiuus alicujus rei alteri Caufæ efficienti tribui non debeat, quam illi, cui magis proportionabiliter congruit ad *Text. in l. continuus §. Cum ita ff. de verb. oblig. Marefcott. var. refol. lib. pr. cap. 58. num. 19. Rota in Leodien. Jurisdictionis fuper bono Jure 29. Aprilis 1701. §. Et quod verè coram R. P. D. Priolo, & in Legionen. Jurisdiction. fuper bono Jure 23. Martii 1703. §. Expofito coram R. P. D. Anfaldo.*

Idque tanto magis quia quando adnotantur modus, & ordo procedendi refpectu ad Regulares ejufdem Ordinis, qui procedunt fub eadem Cruce, non obftante quod degant in diverfis Conventibus, & fic Religiofi unius Conventus incedere debeant difiunctim ab aliis, defcriptio non amplius fit per lineas inceptivas, & feparatas de per fe ftantes, fed in eadem linea, & lineis continuatis ufque ad integram numerationem fingulorum Conventuum ejufdem Ordinis, ut proinde ex hac difcretiva unius, & ejufdem libri, & unius, & ejufdem materiæ fedulo detur intelligi, quod fupradicta diverfitas fupradictæ defcriptionis in ordine ad dicta Vexilla, fit pofita ad præferendum diverfum ordinem procedendi ex fupra deductis in *§. Quamquam verò*,

Quod autem fufficiens præeminentiæ diftinctio oriatur, & præfervetur, ex quo noftrum Vexillum metropoliticum incedat à dextris, nil conducit ad præfentem quæftionem, in qua non quærimus an, & quomodò inter pares prærogativæ præeminentiales diftingui debeant, fed quærimus quid in facto fuerit obfervatum, & quid in Jure inpofterum fervari debeat, unde fi in facto habemus obfervantiam diftinctivam per inceffum, & progreffum fuccedaneum dicti Vexilliferi Abbatialis,

hæc

hæc observantia est illa, quæ attendi debet, cum non id quod inter pares procedere possit, sed id quod inter dispares servatum fuit attendi debeat, cum ad dirimendam quæstionem in casu particulari advertendum veniat ad usum, seu observantiam, quæ invaluit in eodem Casu particulari. *Surd. conf.* 354. *nu.* 26. *verf. respondeo tert. Rota coram Buratt. decif.* 129. *num.* 6. *verf. cum observantia*, *& in rec. decif.* 153. *num.* 12. *part.* 10., *& in Hildesimen. Canonicatus* 28. *Februarii* 1687. *§. Fin. coram Clam. Card. Caccia*, *& in Romana Juris Legendi* 22. *Junii* 1699. *§. Tremcmorate coram R. P. D. Muto*, *& in Cusentina Cappellaniæ* 12. *Februarii* 1703. *§. Nec demum coram R. P. D. Scotto.*

Hinc nullum piorsus fundamentum fieri potest super dicto prętensorum historicorum asserentium contemporaneum, seu coæqualem incessum dictorum Vexillorum, quia ultra quod aliqui ex illis, ut est Pater Puccinellius, & alii, uti de eodem Ordine Cassinensium, sunt suspecti propter præsumptam affectionem erga eorum Ordinem, unde horum Testimonium deferri de Jure non posset. *Abbas in cap. insuper num.* 9. *de Testibus*, *Cravett. conf.* 281. *num.* 4. *Farinac. de Testib. quæst.* 60. *num.* 29. *Rota decif.* 425. *num.* 13. *coram Priolo*, *& in rec. decif.* 296. *num.* 13. *part.* 16., *& in Toletana Jurisdictionis super pertinentia Ecclesiarum* 6. *Junii* 1689. *§. Eoque minùs coram Reverendissimo Molines Decano*, *& in Marsicen. decimarum* 7. *Junii* 1700. *§. Nec modo coram R. P. D. della Tremoille*, *& in nullius*, *seu Fulden. Jurisdictionis* 28. *Junii ejusdem anni §. Post legittimam coram eodem*, *& in puncto historicorum ejusdem Religionis. Rota coram Royas decif.* 336. *num.* 17.

Reliqua prætensorum historicorum Testimonia nec quidquam possunt probare, quia ultra quod non excludunt, nec coarctant negatiuam, quod Vexillum metropoliticum paulisper incedere potuerit ante illud Abbatiale, eorum Testimonium in judicio non est de Jure validum; quia non sunt de illis historicis probaris universali usu, & approbatione, quique propterea non sunt attendendi. *Abbas in cap cum Causam verf. ex his infero de probat. Parif. conf.* 23. *num.* 235. *&* 252. *lib. pr. Card. de Luca de Jurisdictione disc.* 20 *num.* 7., *& de Præemin. disc.* 3. *num.* 10. *Rota coram Coccino decif* 132. *num.* 5., *& coram Ottbob. dec f* 284. *num.* 6., *& decif.* 243. *num.* 21., *& coram Royas decif.* 336. *num* 7.

Sed si non essent, nec sunt attendendi simpliciter, quanto minùs dum adversùs illorum dicta pugnat ineluctabilis observantia facti contrarii, præseferentis præcedentiam nostri Vexilli, quo casu non quod ipsi dixerint, sed quod observantia demonstrauit, atque demonstrat, est attendendum. *Rota coram Buratto decif.* 679. *num.* 9, *& in rec. decif.* 216. *num.* 3., *& decif.* 520. *num.* 9. *part.* 13., *& in Marsicen. seu nullius Jurisdictionis*

super bono Jure 7. Junii 1700. §. Posita, & in Terraconen. Insignium 11. Decembris 1702. §. Neque respectu coram R. P. D. Muto.

Eatenus etenim, & in suis Casibus historici ex communi approbatione recepti aliquem gradum probationis cōstituunt, quatenus in obscuritate rerum antiquarum habent vim famæ, & communis reputationis. *Bonden. collect. legal. 20. num. 65. tomo primo, & collect. 15. nu. 69. tom. 2. cum cæteris concordan. in Bononien. fideicommissi de Manzolis 22. Junii 1699. §. Quo verò ad historicos coram R. P. D. Ansaldo impressa apud Constan. ad Statut. Urb. decis.* 124.

Unde in Casu, quo, pro ut hic, talis communis reputatio destruatur à notoria observantia facti contrarii, cessat prorsus quæcumque vis, quæ in eorum dicto constitui posset, dum communi reputationi, & uniformitati famæ, nil magis opponitur, quam actus eidem contrarii. *Crauett. cons. 425. num. 87. Rota divers. decis. 176. num. 6., & in rec. decis. 182. num. 7. utrobique parte prima, & coram Cavaler. decis. 6. nu. 5., & coram Emerix Jun decis. 173. num. 3.*

Fama siquidem, ac reputatio communis talis esse desinit, non solum si per longissimum cursum habeatur, prout hic, viva, & indeclinabilis memoria contrarii ex supradictis, sed ad eam prosternendam sufficeret rationabilis rumor, seu memoria dicti contrarii, quamvis, vel ex actuum paucitate, vel ex minoris partis hominum opinatione procederet. *Bald. cons. 7r. num. 6. lib. 3. Roland. cons. 3. nu. 49. lib. pr. Sperell. decis. 173. num. 36., & sequen. Cyriac. controv. 488. num. 89. Conciol. resolut. crimin. verb. fama, resol. 2. num. 2. Rota decis. 325. num. 5. part. 2. rec., & coram Bich. decis. 312. num. 25., & coram Coccino decis. 2058. num. 11.*

Verùm si prædicta nimis perurgent, neglecta investigatione cujuscumque Juris assistentiæ, ut supra probavi, quid sane dicendum ubi omne Jus nobis assistit, quod scilicet Vexilla, & Cruces Cleri Secularis, & Regularis cum eorum debita, & proportionata distinctione procedant, ut scilicet corpus prænobile quale est illud Cleri Sæcularis, locum dignorem, & omnimodam præcedentiam adversus regularem obtineat *Chassan. in Cathal. glor. mund. part. 4. considerat. 51. Roderic. quæst. regular. tom. 3. quæst. 37. artic. pr. in princip., & per tot. Tamburin. de Jur. Abbat. tom. primo quæst. prima num. 69. & 110. Barbos. collect. decis. Apostolicarum collect. 590. num. 9., & collect. 643. num. 2. & sequent. Sperell. decis. 179 num 14. Panimoll. decis. pr. adnot. 3. num. 2. Pignatell. consult. can. tom. 4. consult. 26. num. pr., & sequent.*, ubi refert declarationes Sacræ Congregationis Rituum, & Rota aqud eundem *num. 7. in Oppiden. processionum coram Verospio.*

Sunt enim Corpora separata, adeo ut unum sine deformatione Ritus Ecclesiastici confundi nec debeat, nec possit cum alio juxtà illud *Deuteronom. cap. 22. num. 9.*, ubi quod non sit aran-

arandum in Bove, & Afino; *quem text. exponit conf. Hispalen. Sen. 9. relat. in can. in nova 16. quæst. 7. ibi :* ideft homines diverfæ profeffionis in officio uno non fociabis, *& Innocent. III. in cap. cum Caufam 27. de elect., & monet diuus Gregor. relat. in cap. ad hoc 89. diftinct. Quart. de proceffion. num. 206. fol. 250. Barbof. collect. Apoftolicarum decif. 365. num. 8. latiffimè Sperell. decif. 179. nu. 11. & fequen., & fere per tot.,* qui fcripfit in dicta Caufa Oppiden., & pro quo emanavit dicta decifio apud *Tignatell. confult. Canon. 26. num. 7. & fequen. tom 4., & coram Coccino decif. 197. num. pr. & feq. et num. 13. & 15., & in rec. decif. 111. num. 4 & fequen. part. 5., & decif. 252. num. primo part. 6., & decif. 252. num. 5. & fequen. part. 10.*

Et proinde quemadmodum caput initiatiuum, & diftinctiuum uniufcujufque corporis eft propria fingulorum Crux, five Vexillum, ita eft de Jure, vt unumquodque Vexillum coniunctim cum fuo peculiari corpore incedat, ut ex pluribus Sacræ Congregationis Rituum declarationibus relatis per *Tignatel. confult. Canon. 30. num. 7., & fequen. tom. 4., et confult. 58. num. 12. tom. 6. Quart. de proceffion. num. 16. §. Præfertur num. 14.*

Abufus propterea fuit, & effet, ut Vexillum Abbatiale interiectim cum illo Metropolitico deferatur, cum propria ejus fedes fit adiacenter, & connexivè cum corpore Religioforum ejufdem Ordinis, undè impofterum ordo procedendi reducendus eft ad formam Juris volentis, ut unumquodque corpus non incedat diftinctum à propria Cruce ex fuperiùs adductis, neque in hoc opitulari poteft Abbatiæ adverfariæ confuetudo contraria, quia illa obtinere non poteft contra præcifam Juris difpofitionem, cum fic confundere talia corpora, & tales Cruces effet inordinatio privans Clerum fæcularem Jure fuo, quo cafu talis confuetudo tanquam à Iure improbata eft undequaque fpernenda, ut per *Decian. conf. 20. num. 64 et 70. in puncto concludit Tignatell. confult. Canonic. confult. 73. num. 13. & feq. tom. 8.*

Et in terminis ne dum ferè præcifis, fed etiam fortioribus decifum per Sacram Rotam in Oppiden. proceffionum fub die 18. Maii 1646. coram Verofpio, ut fcilicet abufus incedendi in proceffionibus cum uno Clero una cum alio regulari, quamvis roboratus antiqua confuetudine, imò & mutua tranfactione firmatus obfervandus non fit, quia fcilicet talis deformitas confuetudinis nomen non meretur, fed corruptelæ abolendæ, nullaque tranfactio, quæ confuetudini in hac materia æquiparatur, talem inordinatum modũ procedendi introducere poteft, ut videre eft ex dicta decif. impreffa, & collaudata per *Tignatell. tom. 4. confult. canon. 26. ex num. pr., & fignanter ex num. 7. cum pluribus feqq.*

Poftquam enim habemus Ceremoniale Epifcoporum *lib. 2. cap. 32.* refervans

vans præcedentiam, uti debitam Clero sæculari, quod confirmatum extitit per specialem cōstitutionem à S. M. Clem. VIII. continentem Clasulam *sublata*, & decretum irritans, allegabilis amplius non est ulla consuetudo contraria, uti præcisè irritata per d. Clementinam Constitutionem cum amplissimis Clausulis cuicumque Consuetudini derogatoriis, ut bene explicat, & prosequitur *Rota in dicta Oppiden. processionum loco citato ex num.* 8. *et sequent.*, *& signanter num.* 1.

Quodque consuetudines introductæ contra præscriptum d. Ceremonialis confirmati cum supradictis Clausulis derogatoriis a dicto Summo Pontifice Clemente VIII. non sint attendendæ, & reducendæ ad intellectum, & ordinem prædicti Ceremonialis *Tignatell. consult. can.* 126. *nu.* 30. *tom.* 4., *& consult.* 97. *num.* 4. *eod. tom.*, ubi refert declarationem Sacræ Congregationis Rituum cum aliis in dicta *Colonien. præcedentiæ decis.* 18. *nu.* 13. *post Antonèll de Jur., et oner Cler.*

Non sufficit igitur ut relinquendo nostro Vexillo locum à dexteris exinde emergat sufficiens distinctio pręcedentiæ adversus Vexillum Abbatiale, quatenus licet coæqualiter incederet à sinistris, quia hæc distinctio resultare etiam poterat ex consuetudine, atque concordiis intercedentibus in dicta Causa Oppiden., & tamen Sac. Rota Romana consulta de ordine Sac. Congregationis Rituum, nec supradictam consuetudinem, nec geminas concordias duxit observandas, ut apud *Tignatell. dict. consult.* 26. *tom.* 4., & Jure quidem, quia separandū non est unum Corpus ab alio, sed unumquodque cum sua debita separatione procedere, ex quo Clericorum sæcularium cætus uti dignitate præstantior, & tempore antiquior debet in publicis functionibus quemcumque Clerum regularem præcedere, ut ponderatur in dicta *Oppiden. loco citato num.* 19. *& sequen.*

Quod si in dicta Causa Oppiden. parvi pensę fuerunt geminæ transactiones prædictum ordinem procedendi concorditer stabilientes, *ut in dicta decis. ex num.* 12., *& plur. sequen.*, non est cur ex dicto aliquorum ex prætensis historicis attendenda sit enunciativa consimilis concordiæ super modo deferendi utrumque Vexillum cum Archiepiscopo Florentino possibiliter initæ, quia si attendenda in hac materia non esset transactio, quæ exiberetur realiter talis, quia contra præscriptum Ceremonialis authoritate Apostolica, ut supra, confirmati, inanes remanent quælibet privatorum Conventiones sine Apostolica approbatione, *ut in dicta decis. Oppiden. sub num.* 12.

Quanto minùs poterit fieri fundamentum super concordia, quæ non habetur, & quæ habet contra se contrariam, & longam facti observantiam, & quæ insuper prætensa concordia probata nec in minimo est per simplicem enunciativam dd. prætenso-

prętenſorum hiſtoricorum in ſpecie *Pariſ. conſ.* 23. *num.* 235. *num.* 252. *in fine*, & *generaliter Rota deciſ.* 354. *nu.* 5. *part.* 12., *et in Bononien. Cappellaniæ* 10. *Junii* 1701. *§. Final. cor. R. P. D. dell' Olmo*.

Nemo enim non ſcit, quod enunciativę quantumvis procedentes ab Inſtrumētis, ſeu ſcripturis authenticis, non probant quando principaliter dubitetur de enunciato *Rota coram Emerix Jun. deciſ.* 1138. *num.* 20., & *deciſ.* 1155. *num.* 12., & *alibi paſſim*.

Et multò minùs quando illis adverſatur factum contrarium, cui potius tamquam certo ſtandum eſt quam ſimplici enunciativæ, quæ originari potuit ex Cauſa erronea, & ab enunciantibus opinata quantumvis non realiter tali, *Bellett. diquiſit. Cleric. de Juriſd. Abbat. S. Michaelis de Cluſa §. Un. num.* 26. *in fin. Rota deciſ.* 166. *nu.* 3. *part.* 4. *diverſ.*, & *deciſ.* 159. *num.* 14. *coram Caril.*, *et in nullius ſeu Fulden. Juriſdictionis* 28. *Junii* 1700. *§. Similequæ coram R. P. D. Tremoille*.

Et præſertim in materia, quæ non eſt in commercio, ſeu poteſtate privatorum, ut ſupra probavi, neque in caſu concordiæ realiter exiſtentis, imò conſtabilitæ cum proportionabili conſuetudine ſimiles Conventiones præjudicent abſque Apoſtolico beneplacito, cujus præſumptio, nec ex ſpatio longi temporis admitti poſſet, ſtante quod conſuetudo, quæ talem præſumptionem inducere poſſet, fuit per d. Bullam Clementinam omninò abrogata, ut ſolidè concluſum fuit in dict. *Oppiden. apud Pignatell. dicta conſult. can.* 26. *ſub dicto num.* 12.

His ſtabilitis, inanis remanere videtur controverſia, an conſuetudo quæ ex parte PP. Adverſariorum fortaſſe allegari poſſet, ſuffragari eiſdem valeat, ad effectum præmittendi proprium Vexillum, illudque aſſociandi una cum illo Capituli.

Quoniam cum talis conſuetudo repugnet ordini Eccleſiaſticę Hierarchię, quæ, ut ſupra dictum eſt, non permittit talem mixturam tamquam corruptela, & abuſus univerſo Clericorum cœtui prejudicialis, eſt omninò removenda ex bene deductis per *Card. de Luca de præemin. diſc.* 24. *num.* 5.

Idque non obſtante quocumque temporis lapſu etiam immemorabili, tum quia talis immemorabilis nec eſt probata, & canonizata in contradictorio Judicio, prout requiritur per ea, quæ tradunt *Decian. num.* 66. & *ſeq. Pignatell. conſult. can* 26. *nu.* 32. *in fin. tom.* 4. *cum cæteris concordan. per eum adductis conſult.* 88. *num.* 4 *eodem tom.*, nec probari poteſt in præſenti, nam poſito, quod ad hunc effectum immemorabilis deberet probari, ut percutiens tempus ante Bullam Clementis VIII. dum Clauſulæ ampliſſimę in ea contentæ, reſiſtunt cuicumque conſuetudini contrariæ ab inde introducendæ. *Pignatell. conſult. can.* 29. *num.* 15 *tom* 4. *aliique per Sperell. adducti in deciſ.* 179. *num.* 40. *cum pluribus ſequent.*

Hinc

Hinc quomodò unquam inveniri possunt Testes adeò longævi, qui ad præscriptum *gloss. in cap. pr. de probat.* deponant de visu per 40. annos antè annũ 1600., de quo tẽpore emanavit prædicta Bulla, ut appositè animadvertit *Sperel. dict. decis.* 179. *nu.* 40.

Tum quia dicta immemorabilis nec probata relevaret, cum directò adversetur dispositioni dictæ Constitutionis Clementis VIII. deferentis omnimodam præcedentiam Clero seculari, quam certè in hoc casu non haberet, admisso quod PP. Adversarii deferunt Vexillũ in initio processionum, & in consortio Vexilli Metropolitici, siquidem cum delatio Vexilli hoc modo facta præminentiam, & superioritatem denotet respectu eorum, qui in processionibus subsequuntur *Decian. cons.* 67. *num.* 7. *tom* 2. *Card. de Luca de regular. disc.* 19. *num.* 23.

Ecce ad oculum quod PP. Cassinenses obtinerent præcedentiam super reliquo Clero Collegiatarum, aliarumque Ecclesiarum sæcularium post dictum Vexillum incedentium.

Undè prædicta consuetudo quantumcumque immemorabilis, utpotè detestabilem abusum redolens, & prorsus irrationabilis PP. Adversariis opitulari nullo modo potest, eamque à prædicto Ceremoniali solemniter abrogatam fuisse tradunt *Novar. sum. Bullar. commentar.* 102 *nu.* 5. *§. Pro concordia Maceraten. var. resolut. lib. pr. resolut.* 112. *casu* 31. *§. Fin. Rota coram Ludovis. decis.* 310. *num.* 6., *& in rec. decis.* 71. *num.* 3., *& num.* 5., *&* 6. *part.* 5., *& decis.* 87. *num.* 24. *part.* 17.; *et in Pampilonen. præminentiarum* 7. *Martii* 1701. *§. Constitutio verò coram R. P. D. dell'Olmo.*

Quare &c.

P. Pomponius de Vecchis in Romana Curia Advocatus,
& ita etiam pro veritate sentiens.

F I N I S.

L U C Æ, M. DCCIV.

Typis Dominici Ciuffetti. *Superiorum Permissu.*